



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

XXVIII. Markgraf Woldemar vereignet dem Bisthume Lebus das Dorf
Werbeck, am 7. Februar 1311.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

XXVIII. Markgraf Woldemar vereignet dem Bisthume Lebus das Dorf Werbek,
am 7. Februar 1311.

In nomine Domini Amen. Cum omnis humana operatio quoquomodo ex appetitu rationali etc. Nos Waldemar, Dei gratia Brandenburgensis et Lufatie Marchio, forma presentis scripti publice protestamur, Quod ad honorem omnipotentis Dei et ad collaudationem matris ipsius sanctissime, cupientes matrem nostram ecclesiam Lubucensem aliquantulo deuocionis opere venerari, propter specialia obsequiorum merita Reuerendi Domini patris, Domini Friderici, Lubucensis Episcopi, et non minus propter deuota Episcoporum suorum predecessorum patrocinia dedimus prefate Lubucensi ecclesie proprietatem ville Werbek, quam prefata ecclesia a militibus templi sibi comparauit, apponentes eam ex nunc ad ipsam ecclesiam cum limitibus antiquis et consuetis, cum iudiciis, precaria, seruitiis et fructibus uniuersisque attinentiis, cum omni libertatis iure iusto proprietatis titulo perpetuo tempore possidendam propter Deum cum expressa abrenunciacione, omne ius quod nobis pro nunc aut successoribus nostris in futuro competet simpliciter abdicantes. Vt autem premissa proprietatis donatio perpetuo salua consistat, presens scriptum sigilli nostri imagine uoluimus communiri. Actum et datum in Gerswolde, anno domini M^o. CCC^o. XI^o. septimo Idus Februarii.

Nach Gercken's Codex IV, 572.

XXIX. Markgraf Woldemar befiehlt den Lehnsleuten, Bürgern und Bauern in den Districten
Sternberg, Lebus und Falkenhagen ein Behmgericht zu errichten, am 18. Februar 1313.

Woldemarus — Marchio et Tutor illustris Johannis de Brandenburg marchionis, Vniuersis suis uasallis in castris Sterneberg, Lubus et Valkenhagen atque in districtibus ipsis adiacentibus constitutis, necnon ciuitatensibus et opidanis ac villanis eidem confinibus uniuersis salutem —. Ex instinctu nostrorum fidelium in Aduocatia Frankenuordensi morantium decreuimus uobis dare presentibus firmiter in mandatum, Quatenus post receptionem presentium Ad edictum nostri aduocati domini Henrici de Werbyn conuenire debeatis, Conspirato animo Iudicium prouinciale, quod uocatur veyhemdink, instituendo, iudices uobis ad hoc aptos eligentes, qui huiusmodi iudicium secundum oportunitatem temporum omnibus uobis ad id uocatis celebrabunt. Formam uero iudicii sic seruantes, quod ubicunque diffamatus malefactor cum quacunque re publica deprehensus fuerit, sententiis uestrorum examinum supponatur. Et si quis uestrum uel aliqui spoliati fuerint suis rebus, aut aliquibus aliis dampnis seu molestiis perturbati, hos insultatores uolumus, ut omnis terre populus insequi non desinat donec capiantur. Vel si ad castrum aliquod seu fortalitium aut ciuitatem confugerint, huiusmodi municio cum ipsis malefactoribus erit proscribenda. Et si quis collegerit tales malefactores hospitando, quod testimonio conprobari poterit, Is uita huauetur et rebus suis omnibus depriuatur, Et quicumque consecuti non fuerint ut premissum